

BENEDICTO XIII Y LA CONSTRUCCIÓN DE PUENTES

Los papas no solamente abrían el tesoro de las indulgencias, del cual la Iglesia es la dipositaria, para los que la adquisieran dedicasen parte de sus bienes para subvenir a las necesidades espirituales o a las de obras directamente relacionadas con ellas, tales como: reparación y construcción de los hospitales, iglesias, etc., sino que también lo abrían para los que destinaban la limosna de sus bienes o de su trabajo al fomento de construcciones civiles, si eran de necesidad pública, como puentes, caminos, puertos, etc.

Benedicto quiso subvenir con largueza a estas últimas necesidades y por esto fácilmente distribuyó los tesoros espirituales para conseguir bienes materiales en favor de la comunidad.

Benedicto XIII concede un año y una cuarentena de días de indulgencia a los que trabajen o ayuden con limosnas para la construcción de un puente sobre el Cinca.

Arch. Vat., Reg. Av. 320 f. 389 v-90

Niza, 1 abril 1405

Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit sive malum, et ob hoc oportet nos diem messonis extreme misericordie operibus prevenire et eternorum intuitu seminare in terris quod, reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes quod qui parce seminat parce et metet, et qui in benedictionibus seminat de benedictionibus metet vitam eternam. Cum itaque, sicut exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Petri, comitis Urgellensis, et habitatorum de Grado, de Artassona, de Puydencinqua, de Setcastella, de Grosta, de Clamosa, de Troucedo et aliorum in valle de Tarratona (sic) situatorum necnon de Benascon, de Arguast, de Lasponya, de Ciresa, de Benavarre et de Graus Herden. dioc. et comitatus Ribagurcie locorum petitio continebat flumen de Cinca, quod per terram dicti comitis et prope loca predicta currit, propter aquarum inundationes sepe contingentes sine magno submersionis periculo, absque pontes transiri non possit, propter quod plures homines in eo hactenus sine confessione perierunt, ipsique comes et habitatores unum pontem super ipsum flumen construi facere desiderent et proponant, ad quod faciendum christifidelium elemosine sint plurimum oportune. Nos, tantis periculis cupientes obviari, universitatem vestram monemus, rogamus et ortamur

attente, vobis in remissionem vestrorum peccaminum iniungentes, quatinus de bonis vobis a Deo collatis ad opus dicti pontis pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram dictus pons possit construi et huiusmodi periculis obviari, et vos per hec et alia bona que, Deo inspirante, feceritis, possitis ad eterne beatitudinis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli auctoritate confissi, omnibus vere penitentibus et confessis qui ad opus dicti pontis personaliter laborabunt, aut de bonis suis pro opere unius hominis pro una die contribuent, pro singulis diebus et vicibus quibus hec fecerint, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post quinquennium minime valituris. Ceterum ut omnia et singula que per eosdem fideles, pro relaxationis huiusmodi consequenda gratia, offerri contigerit vel donari, in usus ad quos oblata vel donata fuerint integre convertantur sub interminatione divini Iudicii districtius inhibemus ne quis, cuiuscumque status vel conditionis existat, quicquam de oblatis vel donatis ipsis sibi aliquatenus appropriet vel usurpet. Si quis autem hoc attemptare presumpserit non possit a reatu presumptionis huiusmodi ab aliquo nisi apud sedem apostolicam, ac satisfactione debita per eum de illis que sibi appropriaverit vel usurpaverit realiter prius impensa, nisi in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium obtinere.

Dat. Nicie, kalend. april. a. xi.

El papa concede que puedan ser destinados a la obra del puente sobre el Cinca los legados hechos por personas de la comarca para reparación de caminos y puentes.

Arch. Vat., Reg. Avin. 320 f. 395

Niza, 1 abril 1405

Dil. fil. abbati monasterii de Pulcro Podio, Urgellen. dioc., et preposito ac Berengario de Lescuare, canonico eccle. Ilerden., salutem etc. Sincere devotionis affectus quem di. fi. nobilis vir Petrus, comes Urgellen., et habitatores de Grado, de Artasona, de Puydencinqua, de Setcastella, de Crosta clamosa, de Panno, de Monclus, de Trilleyo, de Palo, de Morilleyo, de Tirado et aliorum in valle de Tarantora situatorum, necnon de Banascon, de Airiuasc, de Lesponia, de Ciresa, de Benavarre et de Girious, Ilerden. dioc. et comitatus Ribagurcie locorum ad nos et Romanam gerunt ecclesiam promeretur, ut illa eis liberaliter concedamus per que eorum utilitati consulitur, et periculis animarum obviatur. Exhibita siquidem nobis pro parte predictorum comitis et habitatorum petito continebat quod flumen de Cinqua, quod per terram dicti comitis et prope loca predicta currit, propter aquarum inundationes sepe contingentes sine magno submersionis periculo, absque ponte, transiri non potest, propter quod plures homines in eo hactenus sine confessione perierunt, et quod ipsi super dicto flumine unum pontem construi facere desiderant et proponunt. Quare pro parte dictorum comitis et habitatorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut eis medietatem primitiarum predictorum et comitatus Ribagurcie locorum deputatorum ad ecclesiarum, itinerum et pontium necnon legata relicta ad ipsorum pontium reparationem que proveniens usque ad quinquennium ad opus dicti pontis concedere et deputare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur,

huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mancamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios medietatem primitiarum predictarum et comitatus Ribagurcie locorum, ecclesiis ad quarum reparationem deputate existunt, primitus reparatis, necnon legata ad opus pontium relicta que per personas eorundem locorum et comitatus Ribagurcie usque ad quinquenium a kalend. maii proxime futuri immediate computandum debebuntur ad opus dicti pontis convertenda, auctoritate nostra concedatis et deputetis, eaque faciatis cum integritate persolvi. Contradictores per censuram etc. Non obstantibus etc. Volumus autem quod persone de huiusmodi provinciis et legatis que ad opus dicti pontis solverint, ut prefertur, sint immunes, illaque alio (1) vel aliis solvere minime teneantur.

Dat. Nicie, kalend. april., a. xi.

Comisión hecha por el papa Benedicto para que sea aprobada la concesión de limosnas otorgada por el vicario general del obispo de Lérida en favor del puente sobre el Cinca.

Arch. Vat., Reg. Avin. 328 f. 555 Mon. de S. Victor (Marsella), 25 mayo 1407

Do. fo. Berengario de Lasquarra, canon. Ilerden., salutem etc. Hiis que pro piis et meritoriis operibus laudabiliter facta sunt, ut illibata consistent, liberter partes nostre sollicitudinis adhibemus. Sane, petitio pro parte dil. fil. habitatorum loci del Gardo, Ilerden, dioc., nobis exhibitá continebat quod olim ipsi super flumine de Cinqua, ubi propter aquarum inundationes sepe contingentes, sine magno submersionis periculo, absque ponte, transitus non habetur, et in quo multi homines et multa animantia hactenus perierunt, quemdam pontem construere et construi facere inceperunt, et quod pons ipse non potest sine magis expensarum oneribus perfici, quodque di. fi. Johannes Anglada, archidiaconus Terencone in eccle. Ilerden., ven. fratris nostri Petri episcopi Ilerden. in spiritualibus et temporalibus vicarius generalis, habens ad hoc ab eodem episcopo specialem potestatem, attendens opus dicti pontis fore laudabile et summe necessarium primicias predicti Delgado et ville Tamariti Littarie et aldearum eiusdem, ac Abelde et prioratus Pertusie et aldearum eiusdem, ac Alcolegie et Albalati riparie Cinque, et de Hauhascha, necnon de Castro de eius populi et alterius sue parrochie, et de Bolcorma, de Albena, de Colungo, de Azlor locorum pro fabrica ecclesiarum locorum ipsorum deputatas, deductis hiis que pro operibus ipsarum ecclesiarum necessarie fuerint operi dicti pontis ad quinque annos duxit gratiose concedendas, ac mandavit de eisdem primiciis per eas personas que ad solutionem earum tenentur deputato seu deputandis ad colligendum easdem responderi, prout in quibusdam patentibus dicti Vicarii litteris, suo sigillo signatis, plenius dicitur contineri. Quare pro parte dictorum habitatorum nobis extitit humiliter supplicatum ut concessioni et mandato huiusmodi robor confirmationis adicere de benignitate apostolica mandaremus. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus,

(1) Illi. Reg.

si est ita, concessionem et mandatum huiusmodi, dummodo canonice facta fuerint, auctoritate nostra raifices et approbes et confirmes.

Dat. Massilię, apud S. Victorem, viii. kalend. junii, a. xiii.

Concesión de indulgencias a los que ayuden a construir un puente sobre el Noguera.

Arch. Vat., Reg. Avin. 333 f. 75-6

Peñíscola, 2 nov. 1411

Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. Quoniam ait Apostolus omnes stabimus ante tribunal Domini nostri Iesu Christi recepturi prout in tempore gessimus sive bonum fuerit sive malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire ac eternorum intuitu seminare in terris quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes quod qui parce seminat parce et metet et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam eternam. Cum itaque, sicut accepimus, prope monasterium b. M. de Lahone O. S. B. Ilerden. d. sit quidam transitus, de les Escalles vulgariter nuncupatus, iuxta rivum de Noguera eiusdem d. in itinere per quod itur ad valles d'Aran et de Boy predictę et Convenarum dioc., quiquidem transitus ita strictus et gravis est quod gentes euntes ad dictas valles per transitum huiusmodi vix possunt absque periculo pertransire propter quod actenus quamplures homines grandia etiam mortis pericula, subierunt et ad fabricam seu reparationem transitus ac itineris predictorum Christifidelium elemosine sint quamplurimum oportune, universitatem vestram rogamus, monemus et ortamur in Domino vobis in remissionem pecaminum iniungentes quatenus de bonis a Deo vobis collatis pias elemosinas et grata caritatis subsidia ad fabricam seu reparationem huiusmodi erogetis ut per vestram subventionem transitus et iter huiusmodi valeant fabricari seu etiam reparari nosque per hec et alia bona que, inspirante Domino, faceretis ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confissi omnibus vere penitentibus et confessis qui ad fabricam seu reparationem transitus et itineris huiusmodi per unam diem operarium suis sumptibus possuerint vel personaliter iuverint absque salario pro singulis diebus quibus operarium ipsum sic posuerint vel iuverint, ut prefertur, unum annum et quadraginta dies, illis vero et aliis qui alias ad fabricam seu reparationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, quociens hoc fecerint centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus.

Ceterum ut omnia et singula que pro relaxatione huiusmodi consequenda gratia offerri contigerit vel donari in usus ad quos oblata vel donata fuerint integre convertantur, sub interminatione divini iudicii districtius inhibemus ne quis cuiuscumque status vel conditionis existat quicquam de oblatis vel donatis ipsis sibi aliquatenus appropriet vel usurpet. Si quis etc.

Dat. Paniscole, Dertusen. Dioc. non. novemb. a. xviii.

Expedit v. idus novemb. a xviii. — A. de Campis.

Benedicto XIII concede indulgencias a los que ayuden a reconstruir un puente sobre el Ebro en Zaragoza.

Arch. Vat., Reg. Avin. 337 f. 335

Perpiñán, 23 marzo 1409

Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salt. etc. Participes mercedis efficiuntur qui honorum operum se constiunt adiutores. Pro parte siquidem dilectorum filiorum iuratorum et procerum civitatis Cesaraugustan. expositum extitit coram nobis quod pridem magna pars pontis supra fluvium Yberis prope dictam civitatem, non sine magnis laboribus et expensis constructi, fuit aquarum inundatione et aliis casibus fortuitis eversa, pro cuius refectione et conservatione expensas multas subire coguntur quas sine fidelium auxilio commode supportare non possunt. Nos autem talibus fabricis manum porrigere adiutricem pium apud Deum et meritorium reputantes ac proinde attendentes quod inter holocausta virtutum illud Deo illud acceptabilius occurrit quod de pinguedine caritatis offerretur, Christifideles ad hec et alia misericordie opera libenter invitamus et ut ad ea forcius animentur quo maius exinde animarum commodum se speraverint adipisci nonnumquam pro hiis temporabilis suffragiis eis numeram prorrigimus spiritualium gratiarum. Ut igitur pons ipse valeat debite reparari, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente in remissionem vobis peccaminum iniungentes quatinus de bonis a Deo (sic) vobis a Deo collatis ad hoc pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis ut per subventionem vestram huiusmodi dictus pons reparari valeat, vosque per hec et alia bona que Domino inspirante feceritis possitis ad eterne felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis qui ad reparationem et reedificationem huiusmodi unum, duos, tres, quator vel quinque homines pro die propriis tenuerint tot annos et tot quadragenas quot homines tenuerint ut prefertur, aliis vero qui ad reparationem et reedificationem eandem manus porrexerint adiutrices centum dies tociens quociens hoc fecerint de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus presentibus post decennium minime valituris quas mitti per questarios districtius prohibemus eas si secus actum fuerit carere iuribus decernentes. Ceterum ut omnia et singula que pro relaxationis huiusmodi consequenda gratia offerri contigerit vel donari in usus ad quos oblata vel donata fuerint integre convertantur sub interminatione divini iudicii districtius inhibemus, ne quis cuiuscumque status vel conditionis existat quicumque de oblati vel donati ipsis sibi aliquatenus appropriet vel usurpet. Si quis autem hoc attemptare presumpserit non possit a reatu presumptionis huiusmodi ab aliquo nisi apud sedem apostolicam ac satisfactione debita per eum de illis que sibi appropriaverit vel usurpaverit realiter prius impensa, preterquam mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere.

Dat. Perpiniani, Elnen. Dioc. x. kal. april. a. xv. Expediit, iiii. id. april. xv. — B. Fortis.

J. RIUS SERRA, prev.